

si in Deo videntur, videbitur necessario prototypa illarum imago.

Resp. Dist. *consequens*: Imago eminentis videbitur; conc. Formalis; nego *consequentiam*.

Inst. 2.^o Atqui videre imaginem eminentem creaturarum, non sufficit ad creaturas videndas: ergo in Deo ipsae creaturae non videntur.

Resp. Dist. *min.* subsumptam. Si visio terminetur tantum ad eminentem illam imaginem: conc. Si pertranseat ad id quod virtualiter continet; nego minorem.

Etenim Idea divina, cum sit ipsum esse virtusque Dei, continet virtualiter quicquid est possibile. Beatus ergo videns Verbum divinum, quum ad illa quae virtualiter in eodem insunt pertransit, confert cum eminenti illo prototypo, et qualiter, quantumque imitentur et participant cognoscit, eoque modo in Verbo videt.

THESIS XXII.

Res quoque creatas beati in Deo videre possunt, et de facto vident, secundum beatificae visionis perfectionem et mensuram.

132. Nota: mediam sequimur, cum D. Thoma et Suarezio, communemque sententiam, adversus duas extreme oppositas. Nam cum Durando sentiunt Auctores aliqui, omnia quaecumque existentia beati in Deo necessitate videre: alii, e contra, cum schola Nominalium existimant, nullatenus posse res *ut existentes* in Dei essentia intueri.

Prob. 1.^o Tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus sumpta in praecedentibus Thesibus (2) testimonia, referuntur etiam ad res aliquando futuras: ergo et res creatae videri in Deo possunt.

2.^o Propter summam illam scientiam objecto infinito accommodatam, agnoscit Deus in se omnia possible et futuram eorum existentiam. Sed scientia beatorum est quaedam per lumen gloriae participatio illius summae scientiae Dei: ergo et poterunt beati non tantum possible aliqua, sed et futura in Deo videre.

133. Objic. 1.^o Deus per illam scientiam, qua videt se ipsum, videt quoque necessario tum possible tum existentia omnia: ergo idem censendum de visione beatorum.

Resp. neg. paritatem: quia visio Dei est comprehensiva, et ideo simpliciter infinita.

Objic. 2.^o Deus nullam habet relationem ad creaturas existentes.

(1) Thes. XI et XII.

Sed sine relatione Dei ad rerum existentiam non possunt in illo videri; ergo res creatae nequeunt in Dei essentia intueri. *Maj.* prob. Relatio Dei ab existentia fundaretur vel in potentia, vel in voluntate, vel in scientia, vel in actione aliqua. Atqui a) non in potentia; quia est indifferens ad hoc quod aliquid existat: b) non in voluntate; quia respectus voluntatis (cum datur) est moralis tantum, quatenus determinat potentiam exequentem (1): c) neque in scientia, seu Verbo, quia scientia, quatenus est necessaria, refertur solum *ut dirigens* voluntatem et potentiam; si ergo in potentia videri nequit res existens, multo minus in voluntate et scientia. Quatenus autem est scientia libera, seu visionis, est consequens ad rerum existentiam, ideoque haec non videretur *in se*, sed abstractivè et a posteriori: d) Tandem neque in actione aliqua, quia Deus non agit per ullam in se receptam actionem. Ergo revera nulla est relatio in Deo ad existentiam creaturarum videndam.

Resp. Transmittitur *maj.* et nego suppositum *minoris*, ut in responsione ad obj. 1.^o praecedentis Theseos notavimus.

Sive quoad esse possibile, sive quoad esse existentiae, omnes creaturae ab esse divino dimanare debent. Scientia Dei, seu Verbum, adaequatur ipsius essentiae; ideoque, tamquam infinite actuata, respicit necessario ut existentes res omnes, quae in ipso esse divino videt possible, si aliquando extiturae sint participantibus ejusdem esse infiniti existentiam. Non igitur videt Deus in sua essentia res existentes, quia vel actio aliqua, vel essentialis virtus, vel voluntas sit earum connexa existentiae; sed quia est summe determinata et actuata scientia Dei ad cognoscendum quicquid formaliter vel eminenter essentia continet, sub quavis ratione veritatis.

Hanc igitur potest Deus participare scientiam rerum existentium, simul cum propriae essentiae intuitionem.

ARTICULUS III.

De essentia Dei.

THESIS XXIII.

Essentia Dei physica, formaliter loquendo, constituitur per attributa absoluta tantum; identice vero tum per absoluta, tum per relativa.

(1) Apud D. Thom. p. 1, q. 19, a. 4, ad 4.

134. Nota 1.^o Naturam, essentiam, substantiam Dei pro eadem re significanda sumi apud Concilia, Patres et theologos. Sic Lateran. IV. c. *Firmiter*: «Tres quidem personae; sed una essentia, substantia, seu natura omnino simplex.» Unde essentia Dei illud est quo tres Personae conveniunt, suntque unus Deus.

II. Aliqui auctores, ut Cajetanus, Valentia etc., censent, essentiam Dei physicam per omnia constitui praedicata necessaria, tum absoluta, tum relativa. Alii autem, cum Suarez, Molina, Ruiz, etc., defendunt solum praedicata absoluta spectare ad physicam Dei essentiam. Tertia sententia distinguit quatenus Deus vel philosophice, vel theologice consideratur: si mere philosophice loquamur, primae opinioni consentiunt; si autem theologice, secundae.

3.^o Proprietates *absolutae* Dei dicuntur, quae nulli opponuntur proprietati et propterea communes sunt omnibus Personis: quae autem aliis opponuntur proprietatibus, dicuntur *relativae*.

135. I.^a Pars prob. quae est certa et communis. Ex supra dictis (1). Deus est ipsum esse per essentiam, et quidem omni perfectione infinitum: atqui non esset talis si aliquod attributum absolutum ad Dei essentiam non spectaret: ergo Dei essentia constat physice, seu realiter, quolibet attributo absoluto.

Confir. Later. IV. c. *Damnamus*, dicit de essentia: «quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest.» Sed si aliquod attributum absolutum non spectaret ad Dei essentiam, praeter illam aliud inveniretur: ergo attributa omnia absoluta sunt de essentia Dei.

136. II.^a Pars prob. Idem Concil. (ibid.) ait. «Et illa res (essentia) non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat... ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura.» Ergo solae proprietates absolutae ad essentiam formaliter spectant.

2.^o Patres et Concilia vocant essentiam Dei, id quod est omnibus personis commune. Sed solae proprietates absolutae sunt communes: ergo solae pertinent ad essentiae constitutionem.

Maj. patet ex Edicto fidei Justiniani, prout in Syn. gen. V. habetur. «Omnes enim SS. Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam sive substantiam, et aliud subsistentiam: naturam quidem vel substantiam, quod est commune significare; subsistentiam vero sive personam, hoc quod est speciale.»

Patres Conc. Tolet. XI, in Symb. Fidei ajunt: «In relatione personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quod numeratum sit non comprehenditur.»

(1) Thes. VII.

137. III.^a Pars prob. 1.^o Illud physicam rei essentiam identice constituit, sine quo repugnat rem esse: sed prorsus repugnat Deum esse tum sine praedicatis absolutis, tum sine relativis; ergo identice pertinent ad Dei essentiam attributa relativa.

2.^o Essentia physica rei coalescit identice iis omnibus, quae idem cum ipsa essentia necessario sunt: atqui etiam praedicata relativa identificantur necessario cum Dei essentia; ergo eam identice constituunt.

138. Objic. 1.^a Si in Deo foret unica persona, haec esset formaliter de essentia physica Dei: ergo idem dicendum de tribus personis.

Resp. Nego paritatem et *consequentiam*, quidquid sit de veritate *antecedentis*. Nam in ea impossibili hypothesis subsistentia esset proprietates absoluta, nunc autem personalitates sunt relativae, et ab essentia virtualiter distinctae.

Objic. 2.^o Patris essentia, est Dei essentia. Sed paternitas est de essentia Patris: ergo et de essentia Dei.

Resp. Dist. *min.* Est de essentia Patris paternitas, in esse Patris; conc. In esse Dei; nego *min.* Nam Pater habet esse Dei et esse Patris quae *virtualiter* sunt duo esse.

Objic. 3.^o Deus essentialiter est Pater, Filius et Sp. Sanctus: ergo sunt Personae de essentia Dei.

Resp. Dist. *ant.* Essentialiter, id est, *necessario*; conc. Id est, *constitutive* in esse Dei; nego *ant.*

Objic. 4.^o Philosophice, seu ex solo rationis dictamine, quod est idem cum essentia physica, spectat formaliter ad eandem: ergo relativae proprietates constituunt essentiam physicam formaliter, philosophice loquendo.

Resp. dist. *antec.* Quod est idem realiter, non autem virtualiter, cum essentia physica, spectat formaliter... nego *antec.* Quod est idem, etiam virtualiter, spectat... Transeat: non enim est generatum certum.

THESIS XXIV.

Essentia Dei metaphysica est ens reale a se secundum totam plenitudinem essendi.

139. Nota. I. Non quaeritur definitio metaphysica quae constet *proprie* genere et differentia; sed aliquo praedicato communi et differentia aliqua, qua discernatur Deus ab aliis entibus, et in qua, quasi in radice et eminenter, omnia cetera ipsius contineantur praedicata.

II. In hac quaestione multae circumferuntur sententiae. 1.^a Defendit esse collectionem omnium divinorum attributorum Essentiam Dei metaphysicam. Ita multi cum Suarez, Ruiz de Mon-

tōya, etc. 2.^a Ait, sic Deum metaphysice definiri: Ens a se. Ita Bannez, Alvarez... 3.^a dicit esse: Ens infinitum. 4.^a ait: Ens a se intellectivum. 5.^a Ens a se intellectivum et volitivum. 6.^a etc...

140. Prob. 1.^o Ens reale a se distinguitur ab omni creatura; et illud praedicatum, quod sit a se *secundum omnem plenitudinem essendi*, distinguitur a quolibet alio praedicato Dei virtualiter omnia continens. Sed nihil aliud requiritur ut haec sit essentia Dei metaphysica: ergo essentia Dei metaphysica est ens reale a se secundum totam plenitudinem essendi.

Maj., quoad primam partem, constat: a) nam nullum aliud ens reale, praeter Deum, est a se. b) Deinde ipse Deus se ita definivit et distinxit, tamquam per exclusivam proprietatem (1): *Ego sum, qui sum... Qui est, misit me ad vos.*

Quoad secundam partem: a) Alia Dei praedicata non referunt esse Dei nisi secundum determinatam rationem; at esse Dei in tota sua latitudine, quamlibet in se continet perfectionis rationem, ergo hoc praedicatum distinguitur a quolibet alio omnia amplectens. b) S. Bernardus dicit (2): «Si bonum, si magnum, si beatum, »si sapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo »instauratur: *Qui est.*» Damascenus (3): «Videtur principaliter omnium de Deo dictorum nominum esse, *Qui est.*» Dionysius (4): «Ex ipso esse, tamquam antiquiori aliis Dei bonis, ipse »Deus celebratur.» D. Thomas (5): «Hoc nomen, *Qui est*, nullum modum essendi determinat... et ideo nominat ipsum pelagus »substantiae infinitum... Quando aliqua nomina sunt minus determinata et magis communia et absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo.»

141. Objic. 1.^o Ex his testimoniis concludi videtur, quod *Qui est*, seu ens reale a se, sit adaequata definitio Dei: redundant ergo cetera quae in Thesi adjiciuntur.

Resp. Dist. *ant.* Definitio Dei radicalis; conc. Formalis; nego *ant.*: Nam *esse a se* realiter convenit cuilibet attributo Dei etiam relativo: essentia autem metaphysica debet distingui a quolibet attributo uti radix ejusdem. Ut ergo significetur (nam definitio significare debet essentiam formalem, et non solum radicalem), illud *esse a se*, non intelligi prout *confuse* omnibus attributis Dei convenit, sed prout convenit plenitudini essendi, in qua omnia tum relativa, tum absoluta fundantur, adjiciuntur verba illa.

Inst. His ergo positis stare videtur Suarezii opinio; quod essentia Dei sit aggregatio omnium attributorum: quid namque sibi

(1) Exod III, 14.—(2) L. 5, de *Consid.* c. 6.—(3) L. 1, de *Fide*, c. 12.—(4) L. 5, de *div. nom.*—(5) P. 1, q. 13, a. 11.

vult *plenitudo essendi* nisi aggregationem omnium perfectionum?

Resp. Dist. *consequens*: quod sit aggregatio omnium... eminenter seu radicaliter; conc. Formaliter; nego, vel subd. Essentia physica; conc. Metaphysica; nego. Etenim, definitio metaphysica, seu conceptus definitivus, debet ostendere (definire enim est explicare) essentiam metaphysicam: jam vero, *plenitudo essendi* non ostendit formaliter collectionem attributorum, sed solum virtualiter et eminenter: sicut conceptus metaphysicus hominis, *Animal rationale*, non ostendit risibilitatem, et ideo non est constitutivum essentiae metaphysicae, nec in definitione significari debet.

Objic. 2.^o D. Thomas (1) ait: «Voluntas Dei non est aliquid »ejus essentiae superveniens, sicut nec intellectus; sed voluntas »Dei est ipsa ejus substantia: et intellectus etiam Dei est ipsa ejus »substantia.» Ergo intellectus et voluntas Dei essentiam constituunt.

Resp. Dist. et explico: est ipsa ejus substantia, seu essentia, physica; conc. Metaphysica; nego. Essentia metaphysica a physica non re, sed ratione differt. Jam vero intellectum et voluntatem distinguere secundum rationem ab essentia Dei, clare docet ipse D. Angelus. «Licet divinum velle sit ejus esse secundum rem; tamen differt ratione» (2). Idem tradit de intellectu (3).

THESIS XXV.

Essentia Dei ab attributis absolutis, et attributa ad invicem non distinguuntur realiter; aut formaliter ex natura rei, ut vult Scotus cum suis; sed ratione, cum fundamento in re.

142. Nota I. Distinctio rationis actualis est ea, qua aliqua apparenter sunt plura, seu non sunt unum; quod solum fit conceptione mentis nostrae. Datur ergo haec distinctio inter illa extrema, quae ex conceptu suo non ostendunt identitatem realem inter se. Si objecta ipsa praebeant fundamentum ad ita concipiendum seu distinguendum, dicitur distinctio rationis ratiocinatae; aliter autem vocatur rationis ratiocinantis.

Nota II. Distinctio formalis ex natura rei, quae dicitur etiam realis formalis, est distinctio media inter distinctionem realem simpliciter, et distinctionem formalem solius rationis: non enim versatur inter duas, entitates reales, ut distinctio realis, sed inter duas, ut ajunt, formalitates ejusdem rei: nec est solius rationis; cum inde-

(1) *Contra Gent.* l. 4, c. 19.—(2) P. 1, q. 19, a. 1, ad 1.^m—(3) Q. 26, a. 2.

pendenter et antecedenter ad conceptionem intellectus distinguantur formalitates illae.

143. Thesis quoad I.^{am} partem est de fide. Prob. 1.^o Ex Later. IV. cap. *firmiter*: «Credimus, quod unus est verus Deus, aeternus et incommutabilis, immensus, omnipotens... Tres quidem Personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.» Infra autem, *C. Damnamus*: «Pater suam substantiam Filio dedit, juxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est*. Ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit; cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino.»

2.^o Ex Eugenio III et Rhemen. Conc. adversus Gilbertum Porret. «Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas... Credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse... nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse: id est, se ipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum... Credimus et confitemur solum Deum... aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive proprietates, sive relationes, sive singularitates vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi adesse Deo, quae sint ab aeterno et non sint Deus.» Quibus Gilbertus ipse poenitens subscripsit. Atqui si attributa ad invicem vel ab essentia realiter distinguerentur, dici non posset, naturam divinitatis esset simplicem omnino, et quod divinitas sit Deus et Deus divinitas; et quod ejus sapientia et magnitudo... sit ipse Deus; et nullae sint res, sive proprietates... quae non sint ipse Deus: ergo attributa divina ab invicem et ab essentia nequeunt realiter distinguui.

3.^o Confirm. ex supra dictis in Thes. XI.

II. Pars. prob.

Primum autem *nota*: Molina, Ruizius a Montoya et alii opinionem Scotisticam dicunt esse temerariam; Vasquez, Banez, aliique, putant non differre a damnata Gilberti sententia. Verum ab omni potius abstinendum censura, cum adeo insignis Schola putaverit, posse cum Scoto talem doctrinam defendi.

144. 1.^o Ex fide constat substantiam divinam esse *simplicem* omnino: sed si in re ipsa sunt formalitates reales distinctae ipsius substantiae, haec non est simplex omnino: ergo nequeunt dari in Essentia divina ejusmodi formalitates.

2.^o Inter essentiam et proprietates relativas non existit distinctio formalis ex natura rei, ut in Tract. de *Trinitate* dicemus: ergo multo minus inter proprietates absolutas.

3.^o Gregorius Nys. ait (1): «Quis ita stupidus est ut ignoret, divinam quidem naturam esse unam et uniformem atque compositionis expertem, nec *ullo modo* in vana quadam compositione spectari; humanam vero animam, ... quoniam non potest quod quaeritur liquido perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverse ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione quod latet indagantem?»

145. III.^a Pars theseos sat clare consequitur. Nam 1.^o aliqua existit in Dei essentia et attributis distinctio: non autem re ipsa possunt distinguui: ergo saltem ratione. Subsumo: atqui ita distinguit ratio quia una simplici cogitatione ineffabilem Dei perfectionem complecti non potest, ut supra docet Nyssen us: ergo haec divinorum attributorum distinctio est cum fundamento in re.

2.^o Confirm. ex damnatione Proposit. Ekkardi a Joann. XXII. Prop. 23 sic se habet: «Deus unus est omnibus modis, et secundum omnem rationem: ita ut in illo non sit invenire aliquam multitudinem in intellectu vel extra intellectum.»

3.^o Basilius, adversus Eunomium dicentem; *solis vocibus* differre Dei attributa, ait (l. 1): «Qui enim ridiculum non est, si quis procreandi vim, ipsam esse dicat essentiam? aut providentiam? rursus essentiam? itidemque praescientiam?... Quinam ergo manifestae insaniae non sit, proprium unicuique nomini significatum negare subjici?» Rationem autem tot nominum ipse tradit: «Nullum esse nomen quod totam Dei naturam comprehendat, et quantum satis est explicet.»

146. Objic. 1.^o Si inter justitiam et misericordiam, ex. gr., non existeret formalis ex natura rei distinctio, essent formaliter ex natura rei omnino idem. Sed hoc est falsum: ergo inter divina attributa distinctio formalis ex natura rei datur. *Maj.* est clara: *min.* ergo probr. Quae sunt formaliter idem separari numquam possunt: sicut homo et animal rationale; animal et principium sentiendi; etc. Sed misericordia et justitia separari possunt, ut saepe evenit: ergo falsum quod sint formaliter ex natura rei omnino idem.

Resp. Nego *min.* Ad probationem autem dist. *maj.* Quae sunt formaliter, id est, *definitive*, idem, separari non possunt; conc. *maj.* Hoc ostendunt exempla. Quae sunt formaliter *ex natura rei* idem separari nunquam possunt, nego *majorem*.

Scilicet, supponunt Scotistae ad duos conceptus, seu definitiones formaliter distinctas habendas, opus esse quod definita distinguantur formaliter ex natura rei: verum id negamus; sufficit enim distinctio rationis ratiocinatae ad definitiones formaliter distinctas.

(1) L. 12, *contr. Eunomium*.

Objic. 2.^o Deus suam essentiam et attributa cognoscit prout sunt. Sed cognoscit in se plura, diversaque attributa; ergo distinguuntur formaliter a parte rei.

Resp. Dist. *min.* Cognoscit plura... virtualiter, seu equivalenter; conc. Plura formaliter; nego. Deus quidem cognoscit se omnipotentem, sapientem, aeternum... non quasi multas perfectiones, sed unam simplicem, quae omnia ista amplectitur, cognoscens: nos autem non possumus uno conceptu totam illam amplecti perfectionem, et ideo multis conamur.

Objic. 3.^o Diversa attributa, prout formaliter a nobis cognoscuntur, vel sunt in Deo, vel non: si non sint, conceptus nostri erunt falsi, et Deus non erit vere sapiens, potens, justus... Si sint in Deo, ergo et in illo formaliter distinguuntur, ut docet Scotus.

Resp. Dist. illud. Prout formaliter: quatenus hoc significat id, quod attributa, prout a nobis cognoscuntur, habent formaliter perfectionis; conc. quod sunt in Deo. Quatenus Prout formaliter, significat id, quod habent praecisionis, prout a nobis cognoscuntur; conc. alteram partem, scil. non esse in Deo.

Deinde, nego utramque consequentiam. Nam vere Deus est sapiens... quoad id, quod est formaliter perfectionis in his attributis: et vere in Deo haec non distinguuntur formaliter; quia licet in nostra mente una perfectio ab alia praescindat, in Deo ipso nulla praescindit, sed sunt simul una, simplexque perfectio. Neque proinde est falsa nostra conceptio, quia praescindit quod in Deo non praescinditur: quemadmodum visio non errat quia praescindit colorem a dulcedine pomi; neque gustus fallitur, dum praescindit dulcedinem a colore. «Abstrahentium non est mendacium», ut effato dicitur.

CAPUT III.

De Scientia Dei.

ARTICULUS I.

Quam habet Deus Sui Ipsius scientiam.

THESIS XXVI.

Deus habet perfectissimam scientiam, et in primis sui ipsius.

147. Utraque pars est fide certa. I.^a autem elucet ex dictis (1). Esse autem scientiam Dei perfectissimam, id est, in actu secundo, cum omnimoda claritate et certitudine et veritate, fluit etiam ex corollario ejusdem Theseos, tum ex aliis positis (2).

II.^a Pars probr. et simul prima confirm. 1.^o Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei (3).

2.^o Verbum, Filius Patris, procedit ex intellectu et sapientia Patris, eidemque aequalis. Sed, nisi seipsum Deus Pater perfectissime cognosceret, Verbum Filius non esset illi aequalis: ergo. Majorem ex tract. de Trinit. supponimus.

3.^o Deus est summa veritas, ideoque summe intelligibilis; est quoque summe intelligens; haec veritas et hoc intelligere, sunt summe unum in eodem actu simplicissimo: ergo summam et adaequatam seu comprehensivam scientiam habet Deus sui ipsius.

4.^o Athanasius (4) ait: Filium seu Verbum esse, «ipsam per se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se potentiam propriam Patris, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem... Denique ut breviter dicam, perfectissimus Patris fructus, solusque filius et quam simillima imago ejus.»

Objic. Scientia est notitia causata ex principiorum cognitione. Sed in Deo nihil est causatum: ergo nec scientia.

Resp. Dist. *maj.* Causata materialiter, seu per accidens; conc. *maj.* Formaliter; nego *maj.* Formaliter enim est scientia cognitio

(1) Thes. IX.—(2) VIII, XI, XIV.—(3) I Cor. II, 10.—(4) Orat. contr. Genes, n. 46.